



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Florinense Monasterium, in finibus agri Leodicensis, sesquimilliari à  
Philippopoli, Hannoniae opido situm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

me legere memini ) ac demùm à Raginardo perfectum absolutumq̄. Obijt autem Notgerus anno Christi millesimo septimo, Raginardus vero anno millesimo tricésimo sexto,

Manuscriptum porro Chronicon Leodicense notat Stephanum, quem Viridunensem nominat, à Raginardo Episcopo, ad preces Hermanni Comititis, et post monachi S. Vereni, Abbatem primum fuisse creatum, eumq̄, nemora propter latronum insidias succidisse, et annis tribus ac viginti præfuisse.

### FLORINENSE

Monasterium, in finibus agri Leodicensis, sesquimillari à Philippopoli, Hannonia opido situm.

**C**Ameracenses inter Episcopos Gerardus, eo nomine primus, enituit, qui apud Florinas patre Arnulfo, viro nobilissimo, eiusq̄, tractus Domino natus, Florinense istud cœnobium, in honorem S. Ioannis Bapt. suo ære construxit. De quo Chronographus Cameracensis: Gerardi, inquit, Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reuerentia siquidē loci, quo natus fuerat, imò & pro salute animæ patris, & monasterium S. Gulgulfi quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, & alterum S. Ioannis, ex rebus suis & fratrum suorum, non tam pulchra ædificiorū, quàm forti operositate fundauit. Sed hoc qui-

dem

Lib. 3.

De S. Gulgulfo, seu Gengulfo vide Molanum in Natal. SS. Belgij Maij XJ.

dem clericorum, illud verò monachorum, vtrumq; annuente Baldrico Leodicensium Episcopo, in cuius parochia sunt, consecrauit. Deniq; illa Abbatia Domini Abbatis Richardi regimonia commendata, sed & magni Imperatoris (Henrici) auctoritate firmata, cœpit florere, ac postea magis magisq;, Deo gratias, tam affluentia rerum, quàm sanctitate monachorum effloruit. *Hactenus ille.*

*De huius item cœnobij origine legitur in manuscriptis Leodicensium Chronicis, à monachis Aureæ vallis olim concinnatis.* In diebus Notgeri Episcopi Leodiensis Ecclesia S. Gengulphi martyris in Florinis incœpit per Arnulphum de Ruminaco. Qui Arnulphus duos habuit filios, Godefridum scilicet & Gerardum Cameracensem Episcopum. Hic Gerardus sciens beatum Ioannem Baptistam apparuisse deuoto viro, conquerentem quòd non fiebat sibi Ecclesia, sicut multis alijs Sanctis, in Episcopatu Leodiensi, ex voto fecit eidem de patrimonio suo cœnobium de Florenes.

Porro Gerardus iste I. Cameracensis Episcopus obiit an. Christi millesimo quadragesimo octauo, teste Iacobo Guisiano in MSS. Hænoniæ Chronicis.

Ceterum ex Cameracensis Chronographi verbis effici videtur, in Florensi cœnobio primùm clericos, non monachos, à Gerardo Episcopo collocatos esse. Quibus consonant manuscripta Sigebertini Chronici exēplaria Gemblacense & Lipsianum, in quibus sic legitur: Anno millesimo decimo

*Richardus iste fuit primum Abbas S. Vedasti apud Atrebatas, post Laubiensis à Gerardo Episcopo constitutus.*

*An. 1048.*

*An. 1010.*

in cœ-

An. 1015.

in cœnobio Floriensi, pro clericis, qui ad hoc vsque tempus Deo seruiebant ibi, monachi sunt constituti. Anno millesimo decimo quinto Baldricus Episcopus Florinensem Abbatiam acquisiuit ei, cui præerat, Leodicensi Episcopatu.

## CAPVT LIX.

*Mons monachorum, extra muros vrbis Bambergensis.*

**A**bbatiam hanc amplissimam an. 1008. aut circiter in honorem S. Michaëlis Archangeli, excitauit S. *Henricus* Imp. eiusque conthoralis S. *Cunigundis*: qui & Episcopatum Bambergensem instituerunt ac dotarunt, teste Bruschio.

*S. Vdalrici monasterium in vrbe Augustana.*

**S**vdalrici cœnobium, intra Augustanæ vrbis mœnia, versus meridiem, sublimi & augusto loco situm, ex D. Afræ vetustissimo templo in monasterium conuersum est ab ipso S. *Vlrico* Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit verò S. *Vlricus* ibi Canonicos primùm Regulares; postea verò à *Brunone* Episcopo, Imperatoris *Henrici* secundi germano fratre Abbatia Benedictinorum monachorum, eiectis Canonicis,

intri-